Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1883
Quelle:
Copyright:

in omnibus prodesse ac inseruire &c. Meminit in hac *Praef.* alterius *Rudolpho* oblati Operis, quod recensui *Cod.* DCXI. ubi et de Autore quaedam subjunxi, aitque praesentem *lucubratiunculam se uertere ad linguam germanicam ex latina uoluisse, vt facilius legere omnes possint.* Quodsi haec Versio, ut videtur, ab ipsomet profecta sit, en rarum Exemplum hominis *Itali* lingua *Germanica* pro aevo suo perfecte potiti. Praefatio data *Olomucij* 1572. Opus ipsum inchoat: *Tenebrarum princeps ille Sathana nostrarum animarum salutis hostis perpetuus* &c. et oratione continua evincere nititur, Libertatem circa Sacra quidvis sentiendi Legibus tam divinis, quam humanis repugnare; Adversarios autem jam inde a *Wiclefo* et *Husso* sibi proponit. *Fol.* 52. p. 2. post *Petrum a Soto* et Card. *Hosium* ad suum quoque Librum *de Ecclesia Dei a concilio malignantium discernenda* adpellat, quem, uti et praesentem et continuo mox subsecuturum typis nunquam excusos fuisse putem.

II. *fol.* 73. succedit promissa Operis Versio inscripta: *Commentarius Wieder die gottlose ordnung vnd constitution das einem ieden on alle Straff nach seinem willen vnndt wolgefallen vom glauben zue richten vnndt Predigen vergönnet vnnd frey seyn soll.* Praefatio omissa est.

CCCCLXXVII.

Codex chartaceus lat. germ. 629
Sec. XVI. Folior. 136. itidem *Rudolpho* Imp. oblatus inscribitur: *De uitandis tollendisque hæreticorum libris Petri Illicini J. V. Doctoris et Can. Olomucen. libellus latinogermanicus. Anno salutis* 1577. Praefatio ad *Rudolphum* incipit: *Quemadmodum in locis editis constructæ ac bene munitæ, uallatæque arces* &c. In hac de praesenti foetu: *quem libelli supplicis loco ad tuam Maiestatem mittendum existimavi — ut Catholicorum optimorumque Imperatorum, Constantini, Gratiani, Theodosii, Valentiniani, Martiani, Honorij, Friderici, quorum tu principatum tenes, sequaris uestigia, qui hæreticorum libros et scripta omnia damnarunt et diligenter perquiri, comburique præceperunt seuerissimis pænis aduersus eos statutis, qui uel occultarent, uel describerent, uel domi conseruarent, uel in sermonibus citarent. In chalcographos et huiusmodi librorum uenditores animaduertendum est, et constituendum, ut nullus ab Episcopis non examinatus liber excudatur: nullus uenalis circumferatur. Liceat etiam Ecclesiae Antistiti ubicunque deprehenderit, auferre: alioqui maior quotidie fiet in sancta religione labes.* &c. Atque hoc argumentis omnibus in ipso Libello contendit Autor, in quo et ad Librum suum *de discernenda Dei Ecclesia* se rursum refert,